liceat per se litem exercere, sed per procuratorem omnino. Sed hanc quidem antiquitas pro dignitatum honore scripsit: multos autem conspicimus dignitates quidem adeptos, & inter clarissimos inscriptos, aut comites, aut tribunos, vel si qui alii consistunt hujusmodi: substantiæ vero minoris dominos, ut penitus non sufficiant ad procuratores ordinandos, & propter hoc agendas expensas.

CAP. I.

SAncimus [1] igitur usque ad magnificentissimos Illustres hæc valere, & modis omnibus eos per procuratores pecuniarias exercere causas: nec non etiam injuriarum per procuratorem criminali modo movere, secundum quod datum est eis super hoc privilegium: ne [2] cogantur aut sedere [3] cum judicibus cum judicant: aut stare [4] rursus tanquam litigantes: ex utroque enim causa videtur incauta, aut dignitatibus injuriam sustinentibus, aut judiciali schemate indigne procedente. Post magnificentissimos igitur illustres, omnibus licentia sit volentibus procuratores ordinare, & per se lites exercere, nulla ex hoc neque prohibitione, neque damno, neque pœna inferenda eis.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ visa sunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem, omnibus faciat manifesta, quæ moris sunt super his agens. Dat. prid. Non. Jun. *Constantinop.* Imper. DN. JUSTIN. PP. August. Anno 12. JOANNE V. C. CONS.

1 7. *Ecl.* 8. *c.* 28. 2 Causa hujus constitutionis. 3 Non est honestum, ut qui judicatur, cum judicibus sedeat. Econtra honestatis esse non videtur, ut dignitate major stet coram judice inferiore. Honeste igitur constitutum, ut personæ illustres, & quæ supra eas sunt, in pecuniariis causis (& actione injuriarum, quantumvis criminaliter mota) per procuratorem omnino agant: clarissimæ vero agant, si voluerint. 4 Dixi ad *l.* 3. *C. ubi senatores.*

COLLATIO SEXTA.

TIT. I.

UT HI QUI OBLIGATAS SE HABERE PERHIBENT RES MINORUM [1] AUT OBLIGATI SUNT EIS, AD EORUM GUBERNATIONEM PENITUS NON [2] ACCEDANT: ET CURATORES NULLO [3] MODO SUSCIPIANT CESSIONES ADVERSUS EOS: QUORUM CURATIONEM AGUNT, AUT EGERUNT: HÆC AUTEM GENERALITER VALEBUNT IN OMNI CURATIONE, IN QUIBUS PERSONIS LEGES CURATORES PRÆBENT: ET DE GUBERNATIONE PECUNIARUM COMPETENTIUM EIS, QUORUM NEGOTIA ADMINISTRANTUR: ET QUANDO EAS RECONDI AUT MUTUARI OPORTET, AUT EX EIS REDITUS COMPARARI.

NOVELLA CONSTIT. LXXII.

Imper. Justin. August. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

OMnia quidem legislatori reipublicæ in magna cura sunt, quemadmodum optime se habeant, & peccati nihil relinquatur: præcipue autem instrumenta minorum, & quæ circa eos curatio est, studiosa [4] cura est eis qui proferendi leges a Deo licentiam perceperunt: dicimus autem de eo qui imperat. Multas itaque causas audivimus, ubi administrantibus curatoribus cessiones factæ sunt adversus minores, sive puberes, sive impuberes quidem, in secunda [5] tamen ætate constitutos: & mox efficiuntur eorum domini facultatum, aut non existentia forsitan debita subeuntes, aut parvo pretio cessiones [6] accipientes, eorum quæ sunt undique fragiles [7]: aut etiam celantes *de suscepta* [8] existentia in minorum rebus, & ita cessiones accipientes secundum multas & plures occasiones. Quid enim homo ad malitiam semel [9] deditus non adinveniat, ut minorum res proprias faciat?

CAP. I.

Qui tutores vel curatores pupillo vel adolescenti esse non possunt [10].

HÆc omnia lege corrigere volumus, & præcipue illud, ut si quis obligatum [11] habuerit minorem, aut ejus res: hunc non omnino ad curationem ejus, vel si a legibus vocetur, accedere, quid enim non agat pro se dominus ejusdem existens, & adversarii rerum detentator nuper effectus? Propter hoc enim & illud sancimus, ut si apertissime manifestum est, quia is qui sit administrator, ipse est juri [12] minoris obnoxius: neque [13] ipse curator erit, necubi [14] aut cautionem [15] furetur, aut alias probationes [16] quæ erant minoris, corrumpat: & curatio fiat ei rerum interitus propriarum. Hoc itaque lege [17] tutissima colligetur, ut nullus eorum qui obligatas perhibent habere res defuncti, ipsumque minorem & ejus res, aut etiam qui aperte obligatus existit, ad curationem ejus accedat: neque habeat licentiam tale aliquid agere.

CAP. II.

Ut [18] *tutori qui factus est pupilli debitor aut creditor curator adjungatur.*

SEd [19] & si quis jam curam [20] gerens, obligatum sibi effectum habeat minorem, in se forsan hereditate [21] perlata cujuspiam, qui minorem habuit obligatum, aut alia hujusmodi occasione: non jam solum eum esse fidelem ad impuberum aut adolescentium curam, sed conjungi tutorem alterum aut curatorem, (hoc quod in plurimis legum casibus invenimus) ut [22] custodiat ille, ne fiat adversus adolescentem, aut ejus substantiam, ab eo, qui eum habet obligatum, in medio [23] ulla malignitas: sed hoc ipsum observet, ejusque jusjurandum [24], jurans in ordinatione, quia hoc custodiet, etiam eam, quæ ex proditione [25] ad concuratorem pœna est, reformidans.

CAP. III. [26]

Ut a tutela vel cura nullus debiti prætextu excusetur nisi hoc probaverit.

UT autem non demus recusationem omnibus hominibus tutelæ vel curæ, si dicant quia obligatas habent res adolescentium, aut aperte obligati sunt, sancimus, si quis dixerit obligatum se habere minorem, aut ejus res, aut etiam minoris parentes, mox ostendere hoc ipsum recusationis tempore apud eum qui dedit curatorem, & absolvi: aut si incertum est hoc, præbeat ad sancta eloquia jusjurandum, quia ex veritate obligatum eum se habere credens [27] recusat: & si hoc factum fuerit, tutelam non contingere, neque curam: sed eum ab ea re procul expelli, ne ex hoc ipso hostem [28], & non curatorem adolescentulo præbeamus.

CAP. IV.

Si tutor vel curator se debitorem vel creditorem esse ab initio tacuerit.

SI vero tacuerit [29] in initio hoc, & factus fuerit curator: sciat omni actione adversus minorem, si vera fuerit, se casurum, propter hoc quod ex studio adversus hanc nostram legem firmetur. Sed si quis aperte obligatus existens tacuerit, sciat etiam iste, quia sustinebit pœnam, quod non possit redhibitionibus [30] aut aliis solutionibus debiti se miscere tempore curationis forsan arte compositis.

CAP. V.

Ut curatores nullo modo cessiones suscipiant adversus minores.

QUod si quis (sicuti dictum est) factus curator, deinde minoris res fuerit perscrutatus, & cessiones in [31] semetipso, aut per donationem, aut per venditionem, aut alio quolibet egerit modo: sciat omnino infirmum [32] esse quod ab eo fuerit factum: & neque per se, neque per interpositam personam tale aliquid agi: sed undique invalida hæc talia fieri, tanquam si neque ab initio facta fuerint. Manifestum est namque, quia si in talem cogitationem inciderit, omnia agi & disponi ad interitum suæ animæ, & ad rerum, quæ ejus quasi videntur, utilitatem. §. 1. Et non solum donec fuerit curator, prohibemus eum ab hujusmodi cessione: sed neque [33] postea gerere concedimus: ne forsan hoc considerans, abscondat rem, & præordinans illud male, postmodum dum a cura cessaverit, & latere fecerit quod maligne egerit, forte jam nunc non curator existens cessionem accipiat, & rem maligne disponat. Tunc enim infirmum esse volumus quod agitur, & non posse ullam actionem valere cessam adversus eum, cujus prius curam administraverat, sed pro non facto id esse, & lucrum fieri adolescentis: licet hæc cessio pro veris causis facta sit: non ut remeet rursus ad eum qui cessit, tanquam si nihil quasi in medium contra legem visum fuerit actum: sed cadat [34] ab eis, quæ ex hoc sunt quæsita propter transgressionem nostræ legis, & hæc minorem lucrari. Nam si non hanc imposuerimus pœnam: facilia erunt ea quæ sunt malignitatis, & eum qui cessit, faciet iterum movere: & per medium ea quæ sunt cessionis, recipiet, legem per suam malignitatem circumveniens. Et hæc [35] dicimus [36] in omni curatore, in quibus omnino curas aliquorum introducunt leges, prodigorum forte, aut furiosorum, aut amentium, aut si quid aliud jam lex dixit, aut si quid inopinabile natura adinvenerit.

CAP. VI.

De administratione pecuniæ pupilli vel minorum.

QUoniam [37] autem videmus curatores, quicunque Dei memoriam habent [38], ad curam difficulter accedere [39] (nam plurimis volentibus ea quæ minorum sunt impie in se vertere, amabilis [40] est res & appetibilis) videmus autem præcipue difficilem esse curatorum causam propter fœneratorum necessitatem: sancimus nullam [41] necessitatem ex legibus esse curatoribus minorum pecunias [42] fœnerare, sed caute [43] reponere [44] & reser-

1 De tutoribus, *Index Reginæ*; adde Julianum *const.* 65. 2 Et ita abrogatur *l.* 8. *C. qui dare tutores, l.* 7. *C. de excus. tut.* 3 Et ita abrogatur *l.* 12. *ff. de reb. eor. qui sub tut.* & merito id abrogatum est: poterant enim tutores redimere actiones, revera inutiles, adversus pupillos ab aliquo, quas tamen utiles poterant reddere, subtractis pupillo apochis. 4 Id est, exacta. 5 Ætatum variæ species: alia prima, alia secunda, *ut hic.* 6 Tutori vel curatori non licet nomina contra pupillum vel adultum jure cessionis adquirere: sive pretium dedit, sive non. Jul. *n.* 222. 7 Legendum *fragilia.* Intelligit autem nomina seu obligationes, quibus vel præscriptio, vel quid tale potest objici. 8 De suscepta, ἀποδείξεις τῶν χειρῶν. *Scrimg.* 9 Semel malus præsumitur deinceps malus: dicam ad *c. Semel malus.* 8. *de reg. jur. in* 6. 10 Jul. *const.* 65. *num.* 222. 11 Is, cui pupillus obligatus est, tutor aut curator pupillo esse non potest, quatenus lex eum vocat ad legitimam tutelam. Jul. *d. loco num.* 203. facit *l.* 8. *C. qui dare tutores.* Goth. Vide. Joann. Sande *decis. Frisic. lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 1. Ans. 12 Debitor minoris, ejus tutor aut curator esse non potest. 13 Et ita abrogatur lex 7. *C. de excus. tut. l.* 8. *C. qui dare tut.* 14 Causa hujus constitutionis. 15 Γραμματεῖον *Scrimg.* Kal. Hal. 16 Ἀποδείξεις, id est, apochas. 17 Jul. *n.* 223. 18 Julian. *n.* 224. 19 Hinc sumpta est Authentica, *minoris, Cod. qui dare tutores.* 20 Idem in tutela. Jul. *hic n.* 224. Roland. a Vall. 1. *cons.* 83. *n.* 6. Goth. Vid. Rittershus. *exposit. Nov. part.* 8. *c.* 3. *& c.* 5. 6. Ans. 21 Tutor vel curator, ex post facto, (puta delatione hereditatis aliqua) creditor vel debitor pupillorum factus, non removendus est a tutela, sed ei adjungendus est alius tutor, qui eum custodiat ac observet, Jul. *hic.* 22 Jurare concurator datus tutori vel curatori pupillorum seu minorum facto creditori quid debeat. 23 Id est, in ipso actu tutelæ vel curæ. 24 Vid. Roland. *ibid. n.* 6. 25 Προδοσίας ποινὴν intelligit, pœnam constitutam tutoribus & curatoribus male administrantibus. 26 Jul. *ibid. num.* 225. 27 Jurari ex opinione potest. Qualiscunque igitur sit lis pecuniaria, tutor excusari potest. olim eam oportuit capitalem esse, vel status, *l.* 6. §. 18. *ff. de excus.* vel omnium bonorum *l.* 20. *ff. de excus.* 28 Præsumitur hostis pupilli, qui litem adversus eum habiturus est. 29 Pœna dissimulantis pupillum sibi obligatum, & tamen ejus curam vel tutelam suscipientis. adde Jul. *ibid. c.* 226. 30 Solutionibus vel commentitiis (*al.* conventitiis) liberationibus actione solutus est. Jul. *n.* 226. Porro quas *redhibitiones* hic vocat vetus interpres, *solutiones* Julianus Græc. appellat hic καταβολάς. 31 Julian. *ibid. num.* 222. 227. olim id tutoribus licebat, & ita abrogatur *l.* 12. *ff. de reb. eorum.* 32 Pro infecto habendum Jul. *n.* 227. ubi paulo post Ť. 33 Tutor etiam deposita tutela actiones in pupillum quondam suum adquirere non potest. Cur ita? vid. Ť. *eod.* 34 Pœnam nota tutoris aut curatoris, finita tutela vel cura actionem ementis in pupillum. 35 Jul. *num.* 228. 36 Argumentum ducitur & extensio fit a curatore minoris ad curatorem prodigi, furiosi, amentis, & similium. 37 Hinc sumpta est authentica, *Novissime. C. de adm. tut.* vid. Jul. *hic, n.* 228. 38 Religiosas personas tutelæ vel curæ officio fungi non posse, hinc colligunt, nisi superioris licentia accedat. vid. Alc. 3. *præsumpt.* 18. 39 Boni raro tutelas ambiunt. 40 Præsumuntur lucro potius suo quam benefaciendi animo duci, qui tutelam alicujus ambiunt. De qua præsumptione vid. Alc. 3. *præsumpt.* 18. 41 Olim cogebantur fœnori dare: & ita abrogatur *l.* 13. §. 1. *l.* 15. *l.* 58. §. 3. *ff. de adm. & peric. tut. l.* 24. *C. de adm. tut.* 42 Subaudi, steriles, Jul. *n.* 229. 43 Id est, in tuto. *Jul.* 44 Ἀσφαλῶς ἀποτίθεσθαι καὶ φυλάττειν. *Scrimg.* Licet tutori aut curatori pecuniam pupilli in tuto deponere, non fœnori occupare.

vare: quoniam melius [1] est eis in antiquis tutamen manere, quam usurarum appetitione etiam antiqua [2] pecunia cadere, & periclitari quidem curatorem, si non mutuaverit, rursus autem si mutuaverit, periculum sustinere, facto forsan in debitis detrimento. Si vero ipse sponte mutuare voluerit, sub [3] obligatione forte pignorum, aut sub aliis, quæ putantur indubitatæ, cautelis: tunc habeat quidem duorum mensium per singulos annos [4] inducias, hoc quod leges laxamentum [5] vocant: sciat autem mutui periculum omnino ad se venturum.

CAP. VII.

SI [6] vero habeat [7] reditus sufficientes [8], is cujus cura administratur, eos expendat. Si vero plus sint, quam sufficiat, quod plus est, reponat [9]. Quod si mobilis forte ejus cujus cura administratur, substantia est: tunc [10] illud solum mutuare curator cogatur, quantum ad dispensationem sufficiet adolescenti, ejusque rebus: quod vero plus est, caute recondatur. Licebit [11] autem ei cum omni subtilitate perscrutari, si aliquos forsan invenire caute poterit reditus [12], & comparare minori ex abundantibus [13] pecuniis, modicis functionibus publicis obligatos: venditorem vero habentes idoneum, & opulentos reditus existentes: damus enim ei licentiam & hoc agere: scienti quia si quid horum neglexerit, hujusmodi emptionis ipsum respiciet [14] periculum.

CAP. [15] VIII.

SI [16] vero tantum solummodo sit minoris aurum cujus [17] usuræ vix eum & qui ejus sunt pascere, & aliquam aliam ei præbere vitæ dispensationem sufficiant: tunc necessitatis ratio nos etiam ad hoc vocat, ut curatores respicientes [18] ad Deum, ita faciant gubernationem tanquam in suis rebus. Etenim volumus dum [19] celebratur decretum quod tradit curam ei qui ad eam accedit, etiam jusjurandum eum dicere sacrosancta Dei Evangelia tangentem: quia per omnem pergens viam, utilitatem adolescentis aget, quod tamen non excipiet eum a ratiociniis [20], neque a legis ordine, sed cautiorem [21] faciet ad rerum gubernationem, timentem semper circa eas, propter jurisjurandi memoriam factam. Hæc lex a nobis pro cautela sit posita horum qui curatoribus indigent. Si quid vero & aliud adinvenerimus, neque hoc lege complecti pigebit: ut per omnia patres [22] eorum, qui sibi auxiliari nequeunt, existamus.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ visa sunt nobis, edictis per provincias quibus præes, utens omnibus faciat manifesta: ut nullum lateant, quæ a nobis pie & pro subjectorum providentia sancita sunt. Datum Kal. Jun. CP. Imper. DN. JUSTIN. PP. August. Anno 12. JOANNE V. C. CONS. [23]

TIT. II.

DE INSTRUMENTORUM [24] CAUTELA ET FIDE, ET PRIMUM DE DEPOSITO [25], ET MUTUO, ET [26] ALIIS DOCUMENTIS PRIVATE QUIDEM SCRIPTIS, HABENTIBUS AUTEM TESTES, ET DE NON HABENTIBUS TESTES: ET DE INSTRUMENTIS PUBLICE CONFECTIS: ET DE COLLATIONIBUS MANUS PROPRIÆ SCRIPTURÆ: ET DE EXPOSITIS INSTRUMENTIS AB ILLITERATIS, AUT PAUCAS LITERAS SCIENTIBUS, ET DE NON SCRIPTIS CONTRACTIBUS: ET DE CONTRACTIBUS USQUE AD UNAM LIBRAM AURI: ET DE CONTRACTIBUS QUI IN AGRIS FIUNT: ET UT IN DOCUMENTIS ET CONTRACTIBUS FUTURIS LOCUM HABEAT LEX.

NOVELLA CONSTIT. LXXIII.

Idem Imp. Ioanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

NOvimus nostras leges [27] quæ volunt ex collatione literarum fidem dari documentis, & quia quidem imperatorum super excrescente jam malitia eorum qui adulterantur documenta, hæc talia prohibuerunt: illud studium falsatoribus esse credentes, ut ad imitationem literarum semetipsos maxime exercerent, eo quod *nihil est aliud falsitas* [28], *nisi veritatis imitatio.* Quoniam igitur in his temporibus innumeras invenimus falsitates in judiciis multis, quorum fuimus auditores, & quoddam inopinabile ex Armenia nobis exortum est. Oblato namque commutationis [29] documento, & literis dissimilibus judicatis, quoniam postea inventi sunt ii qui de documento testati sunt, subscriptionem subdentes, & eam recognoscentes, fidem suscepit documentum, & quoddam hinc inopinabile occurrit, eo quod litteræ quidem sine fide visæ sunt, licet examinata responsa verorum testium cum veritate concordaverunt: & hoc per fidem testium, quæ videtur quodammodo esse cauta. videmus tamen naturam ejus crebro egentem rei examinatione, quando literarum dissimilitudinem sæpe quidem tempus [30] facit, non [31] enim ita quis scribit juvenis & robustus, ac senex & forte tremens, sæpe autem & languor hoc facit: & quidem hoc dicimus, quando calami & atramenti immutatio, similitudinis per omnia aufert puritatem, & nec invenimus de reliquo dicere quanta natura [32] generans innovat, & legislatoribus nobis præbet causas. §. 1. Quia igitur imperium propterea Deus de [33] cœlo constituit, ut [34] difficilibus imponat quæ apud eum sunt bona, & leges aptet secundum naturæ varietatem: propterea existimavimus oportere & hanc scribere sanctionem, & dare in commune subjectis, quos nobis Deus & prius tradidit, & paulatim semper adjiciet. Etenim quiddam de deposito in scripto dubitatum & ad contentionem deductum invenimus, & oportet etiam omnino horum prospicere: itaque illico nobis est a deposito inchoandum.

CAP. I [35].

De instrumentorum cautela & fide: & primum de deposito, quemadmodum caute dari potest.

SI [36] quis igitur vult caute deponere [37], non soli [38] credat accipientis scripturæ, (hoc quod etiam in judicio quæsitum est, quia enim non [39] professus est is qui scripsisse dicebatur, *suam esse scripturam:* magnum res habuit tumultum & scribere alia coactus [40] est, quæ visa sunt veluti similia quidem, non tamen per omnia similia, & quantum ad illam scripturam sine termino causa permansit) sed is qui depositum dat, advocet [41] etiam testes, ut possibile est [42] honestos & fide dignos, & non minus tribus [43]: ut non in sola scriptura & ejus examinatione pendamus: sed sit judicantibus etiam testium solatium. Etenim tales testificationes suscipimus, quas præsentes testes dicant: *quia his præsentibus subscripsit qui documentum fecit, & hunc noverunt.* Nam si invenerimus & tales quosdam testes non minus quam tres dignos fide existentes: neque [44] talem interdicimus fidem: neque enim ut abbreviemus probationes, ponimus legem: sed ut esse eas & caute esse faciamus.

CAP. II.

Quemadmodum sine tabellione instrumentum mutui vel depositi caute fieri potest.

SEd & si quis aut mutui instrumentum, aut alterius cujuspiam faciat, & noluerit hoc in publico confiteri, quod & in deposito definivimus, non ex ipso videatur credibile quod scribitur super mutuo documentum, nisi etiam testium habeat præsentiam fide dignorum non minus trium [45]: ut sive veniant, & propriis subscriptionibus attestentur: sive [46] alii quidam testificentur, *quia præsentibus eis confectum est documentum:* fidem causa ex utroque percipiat, etiam literarum examinatione penitus non repulsa, sed sola non sufficiente, augmento autem testium confirmanda.

CAP. III.

Si [47] *literarum fides a voce testium discrepet.*

SI vero tale aliquid contigerit quale in Armenia factum est, ut aliud quidem faciat collatio literarum, aliud vero testimonia: tunc nos quidem existimavimus ea quæ viva [48] dicuntur voce, & cum jurejurando: hæc digniora [49] fide quam scripturam ipsam secundum se subsistere. Veruntamen sit hoc judicantis prudentiæ [50] simul atque religionis, ut veracibus potius pro talibus credat: & nos quidem secundum hunc modum existimavimus oportere probari fidelia documenta.

CAP. IV.

De instrumentis incaute [51] *compositis.*

SI tamen quisquam aut deponens, aut mutuans, aut aliter contrahens, contentus sit scriptura sola ejus cum quo contrahit: in ipso erit ut sciat quia in illius fide totum ipse suspendit [52], & quidem quantum ex scriptura non sufficiens videbitur fides, nisi [53] secundum nostram legem adjiciatur documento credibili-

1 Melius est, sortem impuberis vel adolescentis conservari, quam usurarum cupiditate etiam sortem amittere. 2 Id est sorte. Usurarum cupiditate, sors plerumque amittitur. 3 Id est, sub pignoribus. 4 Usuras annuatim datas fuisse, non ad menses: denique usuras annuas, Justiniani seculo, fuisse, non menstruas, hinc colligunt. 5 Ita appellat Græc. autor & Jul. hic. Olim Tutores cogebantur nummos pupillares fœnori dare intra sex primos menses adeptæ tutelæ. *l.* 15. *ff. de admin. tut.* sequentibus annis, intra menses duos. *l.* 7. §. 11. *ff. de adm. tut.* Hodie tutor aut curator, non cogitur pecuniam pupillorum fœnori dare, nisi universa pupilli substantia sit mobilis, *C.* 7. Ť. *eod.* sed si semel dederit (puta ad tempus communiter receptum, id est, unius anni) puto, optime ex hoc loco colligi, ad eam perpetuo fœnerandam teneri. Perpetuo: & tamen cum laxamento duorum mensium, ut quolibet anno duorum mensium spatium habeat, ad idoneos debitores perquirendos. Quid si pecunia illa usus sit? nullum laxamentum ei datur, vid 5. *Harmenop.* Id tamen paulo aliter explicat Cujac. 1. *obs.* 12. *& cap.* 13. *de præsc. num.* 4. quem vide. duo hinc collige, Tutorem semel fœnerantem pupilli pecuniam teneri perpetuo eam fœnori occupare, & ita usuras (ante redditas rationes) præstare, laxamento tamen ei dato duorum mensium singulis annis, semel ea utentem, quamdiu non erunt redditæ rationes, usurarum nomine pupillo obstringi, vid. *l. qui sine* 38. *ff. de negotiis,* qui si alias neque fœnori dedisset, neque usus ea fuisset, non teneretur usuras præstare. Ť. *eod.* Quid si tutor eo casu pecuniam pupillarem coram testibus aut judice postea repræsentavit, eamque testium signis obsignatam postea recepit: puto laxamentum ei dari duorum mensium ad eam fœnori reponendam, ut idem sua in causa quod in aliena custodiat. Usus autem pecuniæ pupillaris facile deprehenditur ex circumstantiis, velut si novum recensque genus monetæ, hoc est incognitum patri pupilli, aut cognitum quidem, sed non multo rationes ante redditas cusum pupillo repræsentet. 6 Jul. *num.* 230. 7 Notandum est hoc tutoribus & pupillis. 8 Ex reditibus (si sint sufficientes) pupilli alendi, ideoque pecunia (si quæ sit pupillo) tutori sacra esse debet, potest tamen eam fœnori occupare, *c.* 6. Ť. *eod.* 9 Nota de pecunia pupillari ex reditibus ejus redacta, per tutorem conservanda vel impendenda. 10 Nota rursus. De pecunia pupillari fœneranda. 11 Nota tertio. De pecunia pupillari & minorum in emptionem aliquam collocanda. 12 Reditus annui in pecunia & fructibus consistentes, possunt licite emi, nec contractus hujusmodi emptionis illicitus est. *Novell.* 160. *c.* 1. *ubi dixi.* 13 Ex superflua pecunia Jul. *d. loco.* 14 Periculum nominum contractorum spectat ad tutorem. 15 Jul. *num.* 231. 16 Hinc sumpta est Authentica, *Quod nunc, Cod. de curat. fur.* 17 Nota casum singularem, Pupillus rem suam habens in solis mobilibus, si ex eorum reditibus ali non potest, tutor ex sorte bona fide aliquid deminuere poterit, *ut hic:* Si potest ali, sortem non attinget. Si plusquam ali, superfluum deponet. *c.* 7. *supr. eod.* At si pupillus mobilia & immobilia habuerit, tutor mobilia tempore peritura distrahet. *l.* 22. *C. de adm. tut.* Ex reditibus vero & usuris pupillum alet. *c.* 7. neutram sortem attinget, nisi utrimque redactæ usuræ pupillo alendo non sufficiant *d. c.* 7. tunc enim ex alterutro poterit deminuere & magis ex sorte mobilium, quam immobilium, *arg. d. l.* 22. Si plus quam ali potest, superfluum deponet, ut casu superiore. 18 Cum cogitatione cœlestis judicis. Jul. *d. loco.* 19 Antequam se administrationi immisceat. Jul. *n.* 232. 20 Tutor ratione jurisjurandi non est ἀνεξέλεγκτος. 21 Al. *cautiorem.* Rittershus. *exposit. Novell. part.* 8. *cap.* 9. *num.* 4. Ans. 22 Princeps pupillorum pater. Ideoque solent fisci principis ac regis advocati & procuratores pupillis, quoties eorum causa tractatur & agitur, facile se conjungere, ut eos videlicet defendant. 23 Id est, anno 538. 24 De instrumentis, *Index Reginæ.* adde Jul. *const.* 66. Quomodo depositum caute poni seu dari potest, adde 4. *O.* 21. 25 Huc refer *c.* 1. 2. Ť. 26 Huc refer *c.* 3. Ť. *eod.* 27 *Nov.* 49. *c.* 2. 28 Adde 1. Harmen. 6. §. 10. *l.* 23. *ff. ad l. Corn. de falsis.* 29 Permutationis. 30 Tempus efficit, ut unius ejusdemque hominis diversæ quodammodo videantur scripturæ. 31 Quæ res efficiant, ut unius ejusdemque hominis scriptura diversorum videatur hominum. 32 Natura generans multa innovat, *Nov.* 74. *c.* 1. 33 Magistratus a Deo. 34 Scopus magistratuum. 35 Jul. *num.* 233. 36 Hinc sumpta est Authentica, *Si quis vult C. qui potior.* adde 22. *Ecl.* 4. *c.* 1. & 3. Harm. 2. 37 Id est, alicui depositum tradere, vel rem custodiendam committere. 38 Cur ita? vid. Ť. *eod.* 39 Id est, quia noluit agnoscere suam esse scripturam: quia suam denegavit. 40 Negans cautionem aliquam a se scriptam, scribere cogitur, ut ex nova ejus scriptura veritas antiquioris arguatur. 41 Cautio deponenti observanda. 42 Quid si nolit depositum evulgare? vid. *c.* 2. Ť. *eod.* 43 Vid. Jul. *c.* 66. *n.* 233. hoc necessitatis causa non datur, sed majoris probationis gratia, *v. nam si* Ť. *eod.* 44 Depositum probari non potest paucioribus testibus quam tribus: alia tamen probatur ratione, quam testibus *c.* 4. *in an.* Ť. *eod.* 45 *l.* 20. *C. de fid. instrum.* Imo quinque: 1. Harm. 6. §. 3. 46 Nihil interest, utrum subscripserint testes, an præsentibus ipsis instrumentum depositi fuerit compositum, Jul. *const.* 60. *n.* 234. 47 1. Harm. 6. §. 4. 48 Deest hæc particula apud Scrimgerum. 49 Viva vox cum jurejurando scripturam superat, *temoin passe lettre:* dixi ad *l.* 15. *C. de fide instrum.* 1. Harmen. 6. *c.* περὶ ἀγράφων. 50 Vid. *l.* 3. *C. de testib.* 51 Id est, nuda suscipientis scriptura. 52 Ideoque incaute facturus est. Jul. *hic n.* 236. 53 Interpretatio est corrupta. Sensus hic est: Deponentem, accepta depositarii nuda scriptura, pendere pene ex sola fide depositarii, cum is possit facile scripturam negare: ejusque scripturam esse, difficilimum sit (propter varietatem, quæ in scripturis accidit *in pr.* Ť. *eod.*)